

Impressor Martin O...

Estas le 35

23
21

D-23-21

BIBLIOTECA
DE LA
UNIVERSIDAD
Y PROVINCIA
DE
ZARAGOZA.
Nº 2023
Est. 44 Tab. 5
20-7a

Estudios de la Fe

3

COPIA
DE BVLLA APOSTOLICA,
Y PRIVILEGIO REAL DE LA VNI-
VERSIDAD DE ÇARAGOÇA.



AVLVS EPISCOPVS SERVVS
seruorum Dei, ad perpetuam rei memo-
riam. Rationi congruit, & conuenit ho-
nestati, ut ea qua de Romani Pontifi-
cis gratia processerunt, licet eius super-
ueniente obitu, litera Apostolica super
illis confecta non fuerint, suum fortian-
tur effectum. Dudum siquidem felix
recordationis Julio Papa III. predecessori nostro, per charissi-
mum in Christo filium nostrum, tunc suum Carolum Roma-
norum Imperatorem semper Augustum, qui etiam Hispania-
rum Rex existebat, tam suo, quam dilectorum filiorum Com-
munitatis CesarAugustani nominibus exposito, quod antea di-
ctus Carolus Imperator, & Rex ipsorum Communitatis, aut
certorum Ciuitatis CesarAugustanae, tum Iuratorum, & Syn-
dicorum supplicationibus inclinatus voluerat, & quantum in
eo fuerat, statuerat, & ordinauerat, quod in dicta Ciuitate,
qua caput Regni Aragonum, & ceteris ipsis Regni Ciuitati-
bus, uberius, & fecundior existebat, ex tunc de cetero, eis &
Studium Generale tam in Theologia, & Iure Canonico, & Ci-
uili, quam in Artibus, & Philosophia, ac Medicina, alijsque
approbatis facultatibus, concedens similiter quantum in eo fue-
rat omnibus, & singulis Magistris, & Scholasticis, inhibi pro
tempore studentibus, & studere uolentibus, omnes illas liber-
tates, gratias, indulgentias, qua a Sede Apostolica quibusuis
Studijs Generalibus erat concessa sic quod Magistri Scholasti-
ci, & Studentes Study CesarAugustani huiusmodi, eisdem gra-

J tjs.

tys, & quibuscumque Privilegijs Regijs, quibus Magistri, & Scholares quorūcunq; Studiorum Generalium; tunc fruebantur, utebantur, & gaudebant, ex tuncque in futurum frui, uti, & gaudere possint, & tunc in posterum gauderent, laudaturus omnes, & singulas ordinationes, statuta, & alia bonum, & incrementum ipsius studij concernentia, pro tempore facienda, prout in ipsius Caroli Imperatoris, & Regis, de super confectis, patentibus literis plenius continetur; ac in eadem expositione subiecto, quod tam Carolus Imperator, & Rex, quam Communitas prefati. Proinde considerantes Civitatem predictam, tam salubritate aeris, quam fertilitate terra, & copia rerum omnium victui humano necessariarum, ad Universtatem Studij Generalis consouendam, ad modum habilem, & idoneam existere cupiebant, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac militantis Ecclesie exaltationem; necnon studio literarum vacare, & inscientijs profiteri, volentium commodum, & profectum, Universtatem studij Generalis in suprascripta Civitate, alias iuxta predicti Caroli Imperatoris, & Regis voluntate, statutum, & ordinationem, erigi, & institui, ac eidem predecessori, per suprascriptum Carolum Imperatorem & Regem nominibus predictis humiliter supplicato, ut in dicta Civitate Universtatem Studij Generalis in Artibus, Naturali, & Morali Philosophia, necnon Theologia, & Iure Canonico, & Ciuili, ac quibuscumque alijs licitis facultatibus, & scientijs, ad instar, Salamantin. Vallisolet. & Ilerden. ac aliorum Regnorum Hispaniorum, Universtatum Studiorum Generalium, erigere, & constituere, aliasque ut in premisis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaretur, antecedens predecessor, qui sedula meditatione pensans, per literarum studia; cooperante omnium munerum largitate, Christi fideles virtutibus ornare, humiles efferri, prouectos ad altura conscendere, equum ab iniquo discerni, iustitiam colitam publicam, priuatamq; rem, utiliter geri, ac omnem humana prosperitatis conditionem augeri, fideiq;

fidemq; Catholicam, & diuinū cultum protegendi, ad ea qua Studiorum huiusmodi propagationem concernebant; præsertim dum Catholicorum vota Principum id postcebant sua conditionis aciem liberaliter conspiciebat, in Domino salubriter expedire communitatem prædictam, ac eorum singulos quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, vel pœnis à iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infra scriptum dumtaxat consequendum absolvens, & absolutos fore censens, necnon veriore dictarum literarum tenorem pro expresso habens, huiusmodi supplicationibus inclinatus. Sub dat. videlicet octauo Idus Augusti Pontificatus sui anno quinto, in Ciuitate præfata Vniuersitatem Studij Generalis in Artibus, Naturali, & Morali Philosophia, & Medicina, necnon Theologia, Jure Canonico, & Ciuili, ac quibusuis alijs licitis facultatibus, & scientijs, ad instar Salmanticensis, Vallisoletani, & Ilerden, ac aliorum Regnorum Hispaniarum, Vniuersitatum Studiorum Generalium, ut præfertur auctoritate Apostolica erexit, & constituit; ac illi sic erectæ, & constitutæ illiusq; pro tempore existentibus Rectori, Magistris, Doctoribus, Lectoribus Scholaribus, Studentibus, Procuratoribus, Bedellis, & alijs Officialibus, & personis quod omnibus, & singulis priuilegijs, indultis, libertatibus, & immunitatibus, exemptionibus, fauoribus, gratijs, prærogatiuis, honoribus, & præheminentijs, Salmanticensis, & alijs Vniuersitatibus, Studiorum Generalium Regnorum, huiusmodi illarumq; pro tempore existentibus, Rectoris, Magistris, Doctoribus, Lectoribus, Scholasticis, & Studentibus, Procuratoribus, Bedellis, & alijs Officialibus, ac personis in genere, vel in specie, tam prædicta, quam Regia auctoritatibus, seu alijs quomodolibet concessis, aut legitime præscriptis, aut ex tunc in posterum concedendis, & præscribendis, ac quibus ille, & illi utebantur, potuerunt, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant,

terant, quomodolibet ex tunc in futurum uti, potiri, & gaudere, necnon his quæ in dicta sic erecta Vniuersitate, seu alibi, per tempus debitum studisse, ac scientia, & moribus idonei esse, comperti forent, quod in Artibus, Philosophia, ac Medicina, & Theologia, necnon Iure Canonico, & Ciuili, & alijs facultatibus, & scientijs predictis, Bachalaureatus etiam firmati, & Licentiatura, ac Doctoratus, & Magisterij Gradus, ac pro tempore existente ipsius Vniuersitatis Casaraugustanae Reçtori, seu alijs iuxta eiusdem Vniuersitatis desuper adendas Constitutiones, recipere, & ipsorum Graduum solita insignia sibi exhiberi facere, & postquam gradus huiusmodi recipere, & illorum insignia sibi exhibita forent, ut præfertur, facultates in quibus promoti forent legere, interpretari, ac in eis deputare, nec nos quoscumque actus, gradui, seu gradibus, per eos receptis, conuenientes exercere, aliasque omnibus & singulis priuilegijs, gratijs, fauoribus, prærogatiuis, & Indulgentijs, quibus alij in Salamanticen, & alijs Vniuersitatibus Regnorum huiusmodi, iuxta illarum Constitutiones, & mores, ad gradus predictos promoti, de iure, vel consuetudine, seu alijs utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, & gaudere poterant, quomodolibet in futurum uti, potiri, & gaudere, in omnibus, & per omnia, proinde, ac si gradus ipsos in Salmanticen, aut Illerden, seu alijs Vniuersitatibus, Studiorum Regnorum huiusmodi iuxta constitutiones, & mores predictos suscepissent, necnon Juratis, & Sindicis Ciuitatis huiusmodi, pro tempore existentibus, quod pro salubri Vniuersitatis Casaraugustanae directione, & conseruatione, ac illius Reçtoris, Magistrorum, Doctorum, Lectorum, Procuratorum, Bedellorum, ac aliorum Officialium, electione, nominatione, & prouisione, & Scholarum earundem manutentione, quacumque Statuta, & Ordinationes licita, & honesta, ac sacris Canonibus non contraria facere, & edere, & pro eorum temporum, et personarum qualitate, et varietate mutare, corrigere,

re, et reformare, seu illa cassare, et alia de nouo concedere, ac super illorum obseruatione quascumque pœnas imponere, libere et licite valerent, quæ postquam facta, edita, mutata, correctæ, et reformata, seu de nouo condita forent, eo ipso dicta auctoritate confirmata, et approbata esse censentur, et iuxta eorum dispositionem, sublata quauis aliter iudicandi facultate, iudicare deberet, ac quidquid secus super his, à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari, irritum et inane existeret, eadem auctoritate Apostolica concessit, pariter & indulgit, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Ciuitatis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis, Statutis, & consuetudinibus, Privilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs, derogatorijs, alijsque efficacibus, & in solitis clausulis irritantibus, quosque, & alijs decretis etiam iteratis vicibus concessis approbatis & innouatis; quibus omnibus prefatis, prædecessor etiam pro illorum sufficienti derogatione; de illis illorumque totis tenoribus specialis specifica indiuidua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quauis alia expressio habenda, vel alia exquisita forma, ad id seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruanda inserti forent, pro sufficienter expressis, habens illis aliàs in suo robore permansuris, ea vice dumtaxat specialiter, & expresse derogauit. Ne autem de absolute erectione, institutione, Concessione, Indulto, & derogatione premisis, pro eo quod super illis dicti prædecessores eius, superueniente obitu literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hesitari, ac illi quos ea concernunt, illorum sufficienter effectu volumus. Ac similiter Apostolica auctoritate, decernimus, quod absolutio, erectio,

erecctio, institutio, concessio, indultum, & derogatio, prædecesso-
rũ huiusmodi, proinde a dicto die octavo mensis Augusti, suum
fortiantur effectum, ac si super illis eiusdem prædecessoris lite-
ra, sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarra-
tur, quodque præsentis literæ ad probandum plene absolutio-
nem, erectionem, institutionem, concessionem, indultum, &
derogationem prædicta ubiq; sufficiant, nec ad id probationis
alterius administriculum requiratur, nulli ergo omnino hominum
liceat; hanc paginam nostræ voluntatis, & decreti confringe-
re, vel ei ausu temerario contrahere, si quis autem hoc attempta-
ri præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beato-
rum Apostolorum, Petri, & Pauli, eius se noverit incursum.
Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnatio-
nis Dominicæ, millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto,
septimo Calendas Junij, Pontificatus nostri Anno primo.



PRIVILEGIO REAL.

NOS CAROLVS Diuina fauente Clementia, Romanorú Imperator, semper Augustus, Rex Germaniæ, Ioanna eius mater, ac idē Carolus Rex Castellæ, Aragonũ Legionis vtriusq; Siciliæ, Hierusalē, Vngariæ, Dalmatiæ, Croatia, Legionis Nauarræ, Granatæ, Toleti, Valētiæ, Galitiæ, Maioricarum, Hispalis, Sardinia, Cordubæ, Corsicę, Murcię, Giennis, Algarbi, Algeciri, Gibraltaris, Insularum Canariæ, Insularũq; Indiarũ, & Terrę firmę, Maris Oceani, Archidux Austrię, Dux Burgúdiæ, Brabantia, Comes Barcinonę, Flandrię, & Tirolis, Dominus Vizcayę, & Molinę, Duces Athenarũ, & Neopatriæ, Comites Rossionis, & Ceritanę, Marchiones Oristani, & Goceani, &c. Dum noster animus cum agitatus assiduis, quã nobis sit vtile, & decorũ viros erudire prudentes per semina doctinarũ, qui per studium prudentiores effecti, Deo nobisq; complacent, ac Regnis, & terris nostris, quibus (Deo propitio) possidemus, efferãt salutare effectus, ad id præcipuè curam nostrã dirigimus, per quod vires eisdē scientiarũ, qualibet honestate apud nos alimēta, condantur, vt ne potissimè Aragonenses, fideles nostros, nobis dilectos, & alios subditos, pro inuestigãdis sciētijs, Nationes peregrinas abire, neve in alienis ipsos oporteat regionibus mendicare. Cũ igitur vos dilectissimi Hieronymus de Oriola Iuratus, Martinus de Alberuela, Ioannes de Paternoy, & Michael Frances, Sindici nostrę Ciuitatis Cæsaraugustanæ, ad has Curias Generales, quas regnicolas Regnorũ nostrorũ Coronæ Aragonũ, eis marmorem de præsentis celebramus, destinati inter cetera Maiestati nostrę supplicarunt, quatenus in eadem Ciuitate, quę caput totius Regni existit, vberiorq; & fecundior Generale Studiũ, de speciali gratia, & solita benignitate Regia, erigere, instituere, & fundare dignaremur. Nos vero debitum habentes respectum, ad grata plurimum, & accepta seruitia, tam nobis, quàm ceteris alijs prædecessoribus nostris, Aragonum Regibus memoriæ indelibilis, ingenti fide, & deuotione præstita, & impensa, & quę assiduè præstatis, supplicationi prædictę, fauorabiliter annuẽdum duximus; Tenore igitur præsentis, cunctis tẽporibus firmiter valiturę, de certa sciētia, Regiaq; autoritate nostra, & consulto, per nos, & nostros successores, volētes Ciuitatē eandē fouere, prosequi gratiosè. Volumus, statuimus, & etiã ordinamus, quod in ipsa Ciuitate Cæsaraugustę, sit deinde Studiũ Generale, tã in Theologia, Iure Canonico, & Ciuili, quàm etiã Medicinę, Philosophię Artibus, ac etiam quibusuis alijs facultatibus, & scientijs approbatis: cupiētes insuper dictum Studiũ Generale, gratijs, & fauoribus opportunis fulciri, concedimus, donamus, ac etiam elargimur, omnibus, & singulis Magistris, Scholasticis, ibidem studentibus, & studere volentibus, pro tempore

pore eiusdē auctoritate & tenore, omnes illas libertates, gratias, & indul-
gētias, quę à Sedē Apostolica quibusuis Studijs Generalibus sunt cōcessę,
& quod eisdē gratijs, necnon & quibuscunq; Priuilegijs Regijs, Magistris,
Scholastici, & Studentes præfati studij Cæsaraugustani, gaudeant, quibus
quarumq; Academiarum Generalium Magistri, & Scholares, de præsentī
fruantur, vtuntur, & gaudebunt, nosq; omnes, & singulis ordinationes, sta-
tuta, & alia bonum, & incrementū dicti studij generalis conceimentia, pro
tempore faciendā laudamus. Hanc itaq; erectionem concessionē, & largi-
tionē facimus, Nos Rex præfatus dictę Ciuitati Cæsaraugustanę per nos,
& nostros successores Aragonū Reges, prout melius, & plenius dici potest,
& intelligi, ad dictę Ciuitatis commodum, & etiam intellectum Illustrissi.
præterea Principi Austriarū, & Gerudę, & Filio Primogenito, & Nepoti
nostro charissimo, ac post fœlices, & longeuos dies nostros, in omnibus
Regnis, & dominijs nostris (Deo propitio) immediato heredi, & legitimo
successori, nostrum aperientes intentum, sub paternę auitęq; benedictio-
nis, dicimus, futuro vero Locumtenenti, & Capitaneo generali nostro, in
dicto nostro Aragonum Regno, Iustitię Aragonum, Magistro Rationali,
Baiulo Generali, Fisci nostri, Patrono Calmetinę, Merinis, Iuratis, ceterisq;
demum vniuersis, & singulis officialibus, & subditis nostris, in dicto Ara-
gonum Regno constitutis, & constituendis, eorumq; Locumtenentibus,
præsentibus & futuris, dicimus, ac specialiter, & directē mandamus, quate-
nus nostram huiusmodi erectionē gratiam, & concessionem, omniaq; alia
& singula præcontenta præfat. Iuratis, Capitulo, Consilio, & Vniuersitati,
& probis hominibus Ciuitatis, prædictę Cæsaraugustę, tam præsentibus
quàm futuris, teneant firmiter, & obseruent, teneriq; & obseruari faciant
perpetuū, per quos decet, cauti secus agere fieri ve permittere; ratione ali-
qua siue causa, si præfatus Illustrissimus Princeps nobis obedire, ceteri ve-
ro officiales & subditi nostri prædicti, gratiā nostram clarā habent, & præ-
ter irā, & indignationis nostrę incursum, poenā præpositam cupiunt eui-
tare. In cuius rei testimonium præsentē fieri iussimus, nostrō cōmuni sigillo
impendenti munitus. Dat. in Oppido Montisoni, die decimo mensis Sep-
tēbris, anno à natiuitate Dñi, millesimo quingentesimo quadragesimo se-
cundo, Imperij nostri, anno vigesimo quarto, Regnorum autem nostrorū
videlicet Reginę Castellę, Legionis Granatę, anno trigesimo nono, Na-
uarre vigesimo octauo, Aragonū vero vtriusq; Sicilia, Hierusalē, & aliorū,
vigesimo septimo, Reges vero omniū vigesimo septimo. YO EL REY.
V. Perrenotus, V. Generalis Thesaurarius, V. Ioannes Palacio, pro Con-
seruatore Aragonū. In diuersorum Aragonū, viij. fol. lxxj. Cæsarea, & Ca-
tholica Maiestas, mandauit mihi Michaeli Clemente, villa per Perrenotū,
per Thesaurarium Generalem, & Palacio pro Conseruatore Aragonum.